

Alte Drucke

APOLOGIA || FRANCISCI || MONTANI PRO SOCIETATE || IESV IN GALLIA. || CONTRA ANTONII ARNALDI || Aduocati Parisiensis Philippicam. || Ex Gallico in ...

Richeome, Louis

Cracoviae, 1597

Caput XXXIV.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154864

facile respondes. Iesuitas mittere suas pecunias in Hispaniam & in Italiam, seruantes modicam portionem in Gallia cum bonis immobilibus, & iis quæ ea lege legata sunt, vt ab alienari nequeant. Ita, vt iuxta glossam tuam, ille ingens cumulus pecuniarum & thesaurus duorum millionum auri indies crescat in Hispania & Italia: interea dum Iesuitæ egeni in Gallia egestate cum suis immobilibus propemodum opprimuntur. Sed vt tuam responsionem refellam, sicuti supra architectabaris, Comitatus, Marchionatus, & Baronias Iesuitarum in remotis regionibus, vt mendaciis tuis reperires aliquod latibulum, quo se abderent, & ab hominum conspectu, ne proderentur, proriperent: eodem modo hîc comminisceris thesauros in vndis & fluctibus Oceani Iaponici; timens, ne si in Gallia hos thesauros collocares, paupertas Iesuitarum, quam omnes probi vident, te insignis calumniæ & mendacij redargueret. Nec tibi in mentem venit hoc eodem loco id, quod alibi ais, Iesuitas contribuisse ad bellum Gallicum: vnde sequitur, oportere illos ex Hispania pecunias, non ex Gallia mittere in Hispaniam, cum Gallia non suppetat, vnde tantos sumptus faciat: Sic perdis teipsum & destruis, nesciens quid dicas, nec aduertens, quid moneat prouerbum: oportere mendacem esse memorem, ne verbis contrariis simul iunctis parum confanter loquatur.

Arnaldus sæpè
sibi contrarius,

CAPVT XXXIV.

De redditibus Collegiorum in Gallia.

D si fortè auctores & historici tui persuaferunt tibi, esse nauem quandam Iesuiticam; quod fortassis aliqua visa sit, cuius puppis pictura nominis Iesu insignita fuerit (vt illa in Actis Apostolorum, Act. 28; quæ Castoris & Pollucis imagines præportabat) & si additis hoc

tis hoc hominum genere dignis glossematis eam ex Lusitania Parisios transmiserunt, ut isthic exponerentur merces, non sine existimationis tuæ iactura, nam egregiè te illi ludificarunt, simulq; Iesuitis ius in plurimas alias nautes contulerunt. Nam si aliæ quædam reperiantur, quibus nomen Iesu sit pro stemmate & signo; oportet, ut eodem iure ad Iesuitas pertineant. Ita non modico incremento duo *milliones* auri augescant: necesse etiam erit, ut multa ædificia in Galliis sint & vocentur Iesuitica, & ut Iesuitis cedant, quippe quæ nomen Iesu præ foribus saxo insculptum præ se ferant, veteri quadam erga Sacrosanctum istud nomen pietate & religione; ita imprudens Iesuitas locupletas.

Porro quemadmodum mendacium effutiisti, quod ad Indos usq; penetrauit, cum assereres, Iesuitis duos *milliones* auri inde quotannis adferri: ita etiam altero, eoq; valde crasso mendacio aërem Gallicanum inficis, cum dicis, *Iesuitas in Gallia capere in annum rectigal ducenta millia librarum*. Mendacium hoc esse ostendit tua probatio. Nam ad hoc probandum nihil aliud facis, quam id dicere; & tuum dicere nihil aliud est, quam mentiri, ut hactenus ex omnibus tuis verbis ostendi. Hinc fit, ut alio argumento non sit opus, quo ostendatur, te hac in re non dicere verum, nisi quod hactenus nondum verum dixeris. Quod si tandem veritatis amor te tetigit, argumentis id probare, non simplici asseveratione affirmare debebas; cum cuius promptum sit & obuium, nascisci catalogum omnium reddituum, quos Collegia Gallicana percipiunt. Est igitur, quod tu asseris, mendacium: esse autem splendidum, facile cognosceret, quisquis accuratius de redditibus Collegiorum Gallicanorum inquirere volet. Quod si hunc laborem refugiant, meoq; testimonio stare velint, ausim vel iuratus dicere (neq; tamen vllius amicitia mihi tanti est, ut propter illam conscientia integritatem

tatem violare velim) ausim inquam, vel iuratus dicere (vt te seriò breuiterq; confutem) omnes prouentus octodecim plus minus Collegiorum Iesuiticorum in Gallia, viginti millium coronatorum summā non efficere: ex quibus quingenti propemodum socij alebantur. Vide iam, quā infigniter sis mentitus.

Prætereā dico, permultos esse in Gallia Prælatos, qui duplò plures redditus habeant, quā omnes Iesuitæ simul; nec equidem inuideo, bene vertat, si tantos prouentus bene expendunt. Addo, in illis vrbibus, quarum Iesuitæ sunt indigenæ, reperiri non paucos Ecclesiasticos, eosq; non cum potestate, sed priuatos, qui triplo aut quadruplo maiores capiant redditus, quā ipsa Iesuitarum Collegia, quæ sunt in eisdem vrbibus. Quin & affirmo, nullam esse adeò exiguam Ecclesiam Collegiatam alicuius nominis, quæ non pluribus prouentibus ditata sit, quā quoduis Collegium Iesuitarum in Francia. Quòd si redditus suos sigillatim in singula capita distribuerent, vtique vni sociorum & operariorum 80. libræ Francicæ non obuenirent, etiam in opulentioribus Collegiis; in aliis autem ne 40 quidem, imò nec 25. Hinc nisi viuerent in communi, nisi adiuuarentur frugalitate, æconomia, eleemosynis, & beneficiis modò ab hoc, modò ab illo acceptis; fieri non posset, vt vitam tolerarent, vel mediā ex parte sumptus illos & expensas sustinerēt; quæ necessariò iis in ædibus suscipiendæ sunt, quæ tā multos incolas tot functionibus publicis & priuatis occupatos cōtinent.

Cui rei probandæ & firmandæ testes appello omnes probitatis amantes viros, qui cum Iesuitis versantur, eosq; propius cognoscunt, qui necessitate pressos subleuant, quibus omnibus exploratum est, me vera loqui; idq; libenter, cum opus fuerit, testabuntur: & qui patulo ore inhiabant prouentibus Collegiorum Parisiensis, Bituricensis, & aliorum,

R

quibus

Heretici sedi-
tiosi, non Re-
ligiosi.

quibus Iesuitæ ciecti sunt, id nobis explicare poterunt, utrū tantos & tam opimos bolos inuenerint, quantos spe & expectatione iamdudum deuorauerant; idemq; re ipsa comparent illi, qui sibi ex aliis Collegiis aureos montes pollicentur, Iesuitis inde exterminatis. Et tunc clarè videbunt cæci, si tamen oculos aperire velint, quàm solido nixus fundamento dixeris, *Iesuitas pro bello pecunias contribuisse*. Ministrorum hoc est, Arnalde; horum machinis & impulsu impōnuntur Ecclesiis vectigalia, seditiones concitantur & fouentur, Duces corumpuntur, qui in suum Regem Christianissimum insurgunt, auro & argento, non tantum ferro & linguæ acumine. Dominus de Monluc, Tribunus militum in Gallia, cuius virtutem frustrà corrumpere conati, sed non frustrà eius vires & iacertos experti sunt, huius rei clarum & sonorum testimonium posteritati reliquit. Iesuitæ tale quid moliri re ipsa non possunt, multò minùs voluntate: in suum herum ac Dominum arma cingere, hæreticorum rebellium mos est, non Religiosorum obedientię amantium.

Hactenus igitur ostendi tibi, ista cōgiaria Hispanica, istas naues & opes Iesuiticas, esse fictiones Rupellæ primùm, & postea iterata editione in tuo cerebro impressas, Iesuitasq; non magis esse Hispanos propter opes, quàm propter honores. Concludo igitur, tuam ratiocinationem & fundamentum, omniq; bonę consecutionis ordine carere, teq; tam imperitum esse Logicum, quàm Aduocatum. Nam tuas probationes arenę inædificas, & dum argumenta contextis, neque vnde ordiaris, neque quò progrediaris, nosti; cum quod proponis, nunquam probes. Sed iam tempus est, vt ad Iesuitarum auaritiā accedamus.

CAPVT XXXV.

Calumniæ Arnaldi de variis testamentis.

Iesuitæ